



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Tractatus de Beneficiis Ecclesiasticis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986



TRACTATUS DE BENEFICIIS ECCLE- SIASTICIS.

*Hæc materia pertinet ad virtutem Re-
ligionis, nam Beneficii Dotatio, &
Officium sunt actus Religionis, &
pacta circa illud vetita sunt Simo-
niaca.*

Q. 1. **Q**uid est Beneficium Ecclesia-
sticum?

Resp. Est jus perpetuum aucto-
ritate Ecclesie constitutum percipiendi
fructus ex bonis Ecclesiasticis propter Of-
ficium spirituale.

Dicitur 1. *Jus perpetuum*, quia Bene-
ficium institutum est, ut semper duret, adeò
ut si uni auferatur, debeat tribui alteri.
Hinc Vicaria non perpetua non est proprie
Beneficium.

2. Au-

2. *Auctoritate Ecclesie* hoc est, Papæ, vel Episcopi: nam ad eos solos pertinet Officia spiritualia instituire, eisque proventus annectere. Hinc Capellanæ non collativæ, sed à privatis, licet in perpetuum dotatae pro Missarum celebratione non sunt Beneficia.

3. *Ex bonis Ecclesiasticis*, id est, Ecclesie ad Dei cultum donatis, ex quibus erecta sunt Beneficia, & ex quibus soli fructus cedunt Beneficiariis; non autem fundus, qui semper remanet Ecclesie, cujus bona immobilia alienari non possunt sine justa causa, & licentia Papæ, alioqui alienatio ipso jure irrita est.

4. *Propter Officium spirituale*. hoc est, ad functiones, seu actiones aliquas spirituales obeundas, quales sunt recitare Horas Canonicas, facere Sacrum, administrare Sacramenta, prædicare Verbum Dei, &c. Nam Beneficium propter officium institutum est, & ad aliquam functionem spirituales obligat, ex Trid. Sess. 21. cap. 3. & cap. ult. de rescrip. in 6. Ibi: *Officium propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur.*

Q. 2. *Quotuplex est Beneficium?*

Resp. Dividitur. 1. In Beneficium Sæculare, quod Clericis Sæcularibus; & in Regulare, quod Regularibus addictum est, & conferri debet.

2. In

2. In simplex, & duplex. Simplex est illud, quod nullam habet annexam curam animarum, jurisdictionem, præminentiam, dignitatem, administrationem, sed solum obligationem recitandi Officium Divinum, & Missas celebrandi; ut Capellania, simplex Canonicatus, item Præstimonium, quod est portio ex Ecclesiasticis proventibus detracta, quæ adolescentibus studiorum causâ confertur in titulum perpetuum, habetque annexum Officium spirituale. Duplex est illud, quod annexam habet curam animarum, vel jurisdictionem in foro externo, vel præminentiam, vel administrationem Ecclesiasticam, ut Episcopatus, Parochiale Beneficium, Abbatia, Præpositura, Cantoria, &c.

3. In manuale, quod potest ad collatoris nutum auferri, ideòque deficit à proprietate Beneficii defectu perpetuitatis; & in non manuale, quod adimi nequit, nisi ob crimen, vel irregularitatem.

4. In collativum, quod confertur per voluntatem absolutam, ac liberam Prælati; in Patronatum, quod confertur à Prælato ad præsentationem, vel nominationem factam per Patronum; & electivum, quod per suffragia electorum accedente postea confirmatione confertur.

5. In titolare, quod scilicet ad vitam, & cum plenitudine juris confertur; & in Commendatum, quod solius administratio-

nis, aut custodiæ causâ datur. Quod si detur in vitam commendatarii, tunc omnia ferè jura ei competunt, quæ titularibus. Unde Commenda perpetua æquivallet Beneficio in titulum dato.

In incompatibilia, & compatibilia: incompatibilia sunt ea, quæ annexam habent curam animarum, vel quæ personalem residentiam postulant, ut sunt duo Episcopatus, duo curata Beneficia, duæ dignitates, &c. Vel quæ in eadem Ecclesia instituta sunt ad eundem finem, habentque idem onus, ac Officium eodem tempore perfolvendum; qualia sunt duo Beneficia uniformia sub eodem tecto, ut duo Canonici in eadem Ecclesia. Compatibilia verò sunt ea, quæ personalem residentiam non exigunt, nec idem onus, ac Officium eodem tempore perfolvendum.

Q. 3. *Quot modis acquirantur Beneficia?*

Resp. I. Regula Juris in 6. sic habet: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licite (subintellige etiam valide) sine institutione canonica obtineri.* Institutionis autem Canonice diversi sunt modi, nempe sex, quibus Beneficia acquiruntur, nimirum 1. Collatione libera, 2. Præsentatione, & subsequa institutione. 3. Electione, & subsequa confirmatione. 4. Postulatione, & subsequa

subsequa admiffione. 5. Resignatione acceptata in favorem. 6. Permutatione approbata. Sex illis modis addi potest interdum sola electione jus habentium absque alia confirmatione; & tunc dicuntur Beneficia electiva collativa, alia autem confirmativa.

Observanda est hinc Regula Cancellariæ de Triennali possessore, quæ sic habet: *Voluit, & ordinavit idem Dominus noster, ut si quis quacunq; Beneficia Ecclesiastica, qualiacunq; sint, absque simoniaco ingressu, ex Apostolica, aut ordinariæ collatione, aut Electione, per triennium pacificè possederit, si se non intruserit, super hujusmodi Beneficiis molestari nequeat; nec non impetrationes de Beneficiis sic possessis factas, irritas & inanes censeri decrevit.* Valet autem in utroque foro ex *Clement. de Sequest.* quia Papa supplet id, quod deest ex justo titulo, censeturque illud interea conferre. Sed ad hoc requiritur titulus saltem coloratus, & capacitas possessoris; alioqui haberetur pro intruso: quod si provius habuerit impedimentum sibi cognitum, cum ei collatum est Beneficium, v. g. defectum ætatis, censuram, &c. Tum non ei prodest istius Regulæ præsidium, etsi titulum coloratum habuerit, quia non possedit bona fide.

§. I. De libera Collatione.

I. Collatio libera est concessio juris rea-

Y y 2

lis

târit: & in Laicum, quod alicui competit ex eo, quòd ipse, vel aliquis è suis prædecessoribus Ecclesiam fundavit, vel extruxit, vel dotavit. Patrono Laico conceduntur ad præsentationem quatuor menses à notitia vacationis Beneficii, sex verò Ecclesiastico. Si intra id tempus Patronus non præsentaverit, tum potest Episcopus Beneficium, cui voluerit, conferre, cap. 3. *de Jure Patron.* quòd si duo pluresve Patroni diversas personas nominent, & sint æqualia horum suffragia, potest Superior, quam illarum maluerit, præferre, sed tenetur semper in conscientia digniorem præferre. Si verò plures Patroni in unum consentiant, aliis dissentientibus præfertur sententia majoris partis, cap. 3. *de Jure Patron.* quòd si absque scandalo fieri nequit, Episcopus pro suo arbitrio alium, etiam à nullo præsentatum substituere potest, *ibid.* Item si Patronus Laicus duos successivè præsentet ante institutionem, tunc potest Episcopus alterutrum pro arbitrio instituere, sed debet digniorem. Secùs, de Patrono Ecclesiastico, nam Prior ab ipso præsentatus debet institui, cap. 24. *de Jure Patron.* si fuerit dignus; aliàs neuter, quia jure suo pro hac vice excidit. Ratio disparitatis est, quia Patronus Ecclesiasticus præsumitur nosse digniorem, quem proinde statim nominare debet, ideòque variare non debet: quod permittitur Laico,

lis in Beneficio, procedens ex mero arbitrio conferentis. Dicitur libera, ut distinguatur ab institutione & confirmatione, quæ sunt quidem collationes, seu concessionis juris, sed non libera; nam tenetur Prælatus præsentatum à Patrono, & electum suffragiis electorum instituere, nisi obstet indignitas præsentati, vel electi, quæ probetur juridicè.

2. Jure communi Episcopus habet potestatem conferendi Beneficia in Diocesi sua vacantia, cum in ea sit princeps & moderator sacrorum. Hanc habere possunt etiam alii inferiores, ut Capitulum, Abbates. Si collator Beneficii illud conferre neglexerit intra sex menses à die, quo notitiam vacationis habuit, vel si intra illud tempus indigno contulerit, collatio jure devolutionis pertinet ad proximum Superiorem, & sic gradatim ad Papam, à quo non regreditur ad Ordinarios.

3. Licet debeat conferri Beneficium sine pacto, vel conditione, Episcopus tamen potest exigere condiciones, quæ ex natura rei insunt, cum enim exigantur tacitè, possunt quoque exigì expresse.

§. 2. *De Præsentatione, & jure Patronatus?*

Præsentatio est exhibitio personæ cujusdam ad Beneficium, legitimè facta per Patro-

tro-

tronum Superiori, ad quem pertinet institutio, quæ est concessio juris realis in Beneficio facta ad præsentationem Patroni. Præsentatio verò potest fieri etiam per Laicos, si jus Patronatûs habeant; nam præsentatio non dat jus in re, sed solum ex dispositione Canonum dat jus ad rem, ita ut præsentatus institui debeat à Prælato, nisi probetur indignus.

Jus Patronatûs est potestas præsentandi Clericum ad Beneficium vacans. Dico, *Vacans*, nam si non vacet, irrita est præsentatio, eo quòd sit contra bonos mores, utpote præbens desiderandæ mortis occasionem. Et ob hanc causam prohibita est promissio Beneficii antequam vacet, c. 2. *de Concess. præbend.* quòd si fiat, nulla est promissio, sicut provisio inde obtenta, ex Regul. 22. Cancel.

Pluribus modis hoc jus acquiritur. 1. Fundatione, hoc est, donatione soli, seu aræ ad superædificandam Ecclesiam. 2. Ipsa Ecclesiæ ædificatione. 3. Dotatione Ecclesiæ, assignatis sufficientibus redditibus. Unde possunt esse plures ejusdem Ecclesiæ Patroni. 4. Præscriptione, scilicet multiplicatis præsentationibus per tempus immemorabile. 5. Concessione Papæ.

Jus Patronatûs dividitur in Ecclesiasticum, quod alicui competit ratione Beneficii à se possessi, aut ex eo quòd de bonis Ecclesiasticis Beneficium fundarit, vel do-

co, qui præsumitur non satis nosse digno-
rem, ideòque plures cumulativè præsentare
potest.

Patronus non potest seipsum præsentare,
cap. 26. *de Jure Patron.* sed potest filium
suum, si idoneus sit. Episcopus tamen pot-
est Patrono Beneficium motu proprio con-
ferre. Si Patronus Laicus præsentet in-
dignum, jubetur alium dignum præsentare:
si Ecclesiasticus, privatur hac vice jure
præsentandi.

§. 3. *De Electione, Postulatione, &
Confirmatione.*

Electio est designatio personæ capacis
ad Prælaturam, vel Beneficium vacans,
facta per suffragia. Per eam acquiritur
jus ad Beneficium: nam jus in Beneficio
sola Confirmatione obtinetur: quare si-
quis absque confirmatione immisceat se
administrationi Beneficii, censetur intru-
sus, & amittit jus, quod erat per electio-
nem consecutus, cap. 5. *de Elect.* in 6.

Electio ex Conc. Gener. Later. 4. cap.
24. triplici modo fieri potest, vel per Scruti-
nium, cum quilibet eligentium suffragi-
um suum secretò tradit; vel per Compro-
missum, cum eligendi potestas in unum, vel
plures communi eligentium consensu trans-
fertur; vel per Inspirationem, cum eligen-
tes subito quodam motu in unum commu-
niter consentiunt. Yy 4 Ut

Ut electio valeat, hæc requiruntur 1. Ut omnes eligentes sint saltem Subdiaconi, si agatur de electione virorum: nam ex Clement. 2. *de Ætat.* & Trid. Sess. 22. cap. 4. nemo ferendi suffragium jus habet, nisi sit saltem Subdiaconus. 2. Ut vocentur omnes, qui eligendi jus habent. Non obstat tamen, si aliquis de Capitulo vocatus venire noluerit, vel nequiverit, cap. 28 *de Elect.* 3. Ut eligatur is, in quem omnes, vel major, vel sanior Capituli pars consensit, ex Conc. Later. 4. cap. 24. Pars autem sanior hîc intelligitur, quæ in electione omnes regulas Canonum servat; minus sana, quæ non servat.

Postulatio est facta ab electoribus superiori obsecratio, ut ad vacans Beneficium vel dignitatem admittere velit aliquem, qui eligi non poterat ob impedimentum Canonicum, quod non est vitium corporis, aut animæ.

Confirmatio est concessio juris in Beneficio facta à Superiore ei, qui electus, vel postulatus est. Unde non differt ab institutione, nisi quod hæc connotet præsentatum, illa verò electum, vel postulatum. Porro electus debet secluso, impedimento, intra tres menses à notitia electionis acceptatæ petere Confirmationem: aliàs electio est irrita, cap. 6. *de Elect.* in 6.

§. 4. De Resignatione.

Resignatio est spontanea dimissio sui Beneficii facta coram legitimo Superiore eam acceptante, scilicet Papa, vel Episcopo. Duplex est, altera simplex, seu sine ulla appolita conditione, & hæc fieri potest coram eo, cujus est conferre Beneficium, & instituere; altera conditionalis, quæ fit cum aliqua conditione, & hæc iterum duplex est, nam si fiat ea conditione, ut Beneficium alteri designato conferatur, dicitur resignatio in favorem: si fiat ea lege, ut resignans à resignatario aliud Beneficium accipiat, est permutatio. Sed operæ pretium est scire, quæ requirantur, ut resignatio sit valida, & licita. Quare

Dico. 1. Ut resignatio in favorem, vel sub onere pensionis sit valida, requiritur 1. Ut Beneficium sit resignantis, nam resignatio est sui juris cessio. Quod si resignans commiserit delictum, ob quod certò privabitur Beneficio, modo non teneatur illud dimittere ante sententiam iudicis, resignatio ante illam facta valebit, sed potest postea irritari. 2. Ut sit spontanea, hoc est, nec metu injusto, nec vi, nec dolo extorta; alioqui est nulla, vel certè annullanda cap. 5. de Renunt. & Clement. 2. de Pœnis. 3. Ut in manus Papæ fiat, nam in jure prohibetur resignatio in favorem, cap. Plerique 8. q. 1. & omnis pactio in Beneficiis jure communi prohibetur, ne scilicet jus

hæreditariæ successionis in Ecclesiam introducatur, ne sit locus acceptioni personarum, & ne libertas conferendi Collatoribus adimatur. 4. Requiritur consensus Patroni Laici, si Beneficium fuerit Patronatum. 5. Debet acceptari à Papa, alioqui resignans non perdit jus suum, cap. ult. *de Renunt.* 6. Debet conferri Beneficium ei, in cujus favorem resignatum est, non alteri, nec aliter. Alioqui provisio non valebit, quia fieret sine Beneficii vacatione; non enim tunc vacat per resignationem, cum hæc habeat hanc conditionem, sine qua possessor non intendit resignare. 7. Debet acceptari ab eo, in cujus favorem resignatur: alioqui resignans non amittit jus suum, cum non resignet, nisi sub hac conditione. Porro resignans etiam post acceptationem Superioris manet sui Beneficii possessor, donec resignatarius possessionem acceperit. 8. Si resignans sit infirmus debet supervivere viginti dies post resignationem: alias censetur Beneficium vacare per obitum, non per resignationem, ac proinde omnis collatio vi illius facta irrita est. Ita Regula Cancellariæ de infirmis. 9. Resignatio facta in Curia Romana debet intra sex menses à die supplicationis oblatae computandos, publicari in loco Beneficii. Si autem fiat causa permutationis extra Curiam, debet publicari intra mensem: alioqui si resignans moriatur antequam resignatarius ceperit possessionem,

nem, Beneficium censebitur vacare per obitum, & collatio facta resolvetur, ita Regula Cancellariæ. In Gallia tempus sex mensium, aut unius mensis computatur à die admissæ resignationis. Et hoc tempus potest à Papa prorogari ad partis petitionem.

Dico. 2. Ut resignatio etiam simplex sit licita, debet fieri ex justa causa bonum Ecclesiæ, vel spiritualem resignantis utilitatem spectante: nam Clerici præsertim Beneficarii ratione sui statûs debent Gloriæ Dei, & utilitati Ecclesiæ inservire: & proinde non eis licet sine causa justa deponere curas spectantes ad Beneficia, quæ susceperunt. Unde S. Pius V Constit, 58. prohibet Episcopis, & aliis, ne admittant resignationes nisi eorum, *qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiiati, aut crimini obnoxii, censuris Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesia, vel Beneficio inservire; seu qui unum aliud, vel plura Beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contingerit promoveri.* Hic addere juvat vulgarem versum resignandi causas complectentem.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,

Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Dico. 3. Ut resignatio in favorem sit licita, debet insuper fieri ob utilitatem Ecclesiæ

Ecclesiæ

clesiæ, quia scilicet alter judicatur aptior: nam si resignatio, vel permutatio fiat ob consanguinitatem, vel ex alio affectu carnali, est illicita: si verò fiat pro aliquo commodo temporali utriusque, vel alterius, est simoniaca. Porro jure communi non licet in periculo mortis resignare Beneficium sub conditione tacita regressus, si convalescat, ex Trid. Sess. 25. cap. 7. & Bulla 134. Pii V.

Dico. 4. Ut resignatio, vel permutatio cum reservatione pensionis, sit licita præter consensum Papæ, & resignatarii, requiritur causa justa, quæ est indigentia resignantis. Nam non est alia justa causa dispensandi à lege generali hanc reservationem vetante ob rationem allatam à Congregatione Cardinalium, ad reformationem Ecclesiæ, deputatorum à Paulo III. scilicet quia *reditus sunt annexi Beneficio, ut corpus anima, ideoque natura sua pertinent ad eum, qui Beneficium habet, ut possit ex eis vivere honestè pro suo ordine, simulque queat sustinere impensas pro divino cultu, & templi, sacrarumque adium reparatione ut quod reliquum est, impendat in pios usus. Hæc est enim natura horum reddituum.* Et vero ipsa resignatio Beneficii non est causa justa pensionis exigendæ, cum jus percipiendi fructus fundetur in Officio, quod resignans dimittit, & transfert in alium. Ratione autem Officii præ-

prateriti nil potest exigere, cum propter illud jam reditus perceperit.

§. 5. *De Permutatione.*

Permutatio hinc est à Beneficiatis facta Beneficii sui in manibus Ordinarii mutua resignatio, ea lege, ut alterius Beneficium alteri conferatur, & vicissim. Si permutanda Beneficia in diversis Dioccesibus sita sint, requiritur auctoritas utriusque Episcopi. Si autem permutatio fiat cum adiectione oneris, vel pensionis, requiritur auctoritas Papæ; quia Beneficia conferri debent sine diminutione, & onere, quod iis jure non inest. Quod si Beneficia sint inæqualia quoad dignitatem, vel jurisdictionem est Simonia juris divini hanc inæqualitatem compensare per aliquid temporale: quia hæc dignitas, & jurisdictio est quid spirituale, & res spiritualis æstimeretur & compensaretur re temporali. Si verò sint inæqualia quoad fructus, Papa potest ad inæqualitatem compensandam imponere pensionem Beneficio pinguiori tanquam conditionem, ut alter indemnis fervetur.

Ad permutationem eadem requiruntur, quæ supra de resignatione dicta sunt: quare Beneficia nequeunt aliis, quam permutantibus conferri: alias invalida erit eorum collatio, quia permutantes non intendunt

dunt resignare mutuò Beneficia, nisi ut sibi conferantur. Quòd si permutatione facta, Beneficium deprehendatur subjectum liti, qui illud resignavit, debet litem prosequi; etsi evictum fuerit, alter redibit ad suam sine nova provisione, & sine nova in possessionem immissione, ex cap. 20. *de Praebend.* in 6.

Ut permutatio licitè fiat, requiritur iusta causa, scilicet utilitas Ecclesiæ, seu major Dei cultus, & majus animarum bonum, vel utilitas spiritualis permutantium, quatenus hic in illo Beneficio, & alter in alio melius potest Deo servire. ex cap. 5. *de Rerum permut.* ita S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. a. 3. ad 8. ibi *In permutatione est simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius, talis commutatio fiat. Si autem pro aliquo spirituali, utpote, quis hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia.*

Q. 4. *Quanam conditiones seu dotes requiruntur, ut quis sit capax Beneficii possidendi?*

Resp. Ex communi, sunt sequentes 1. Thorus legitimus: nam illegitimè nati, sive naturales, sive spurii, sunt incapaces Beneficii ob irregularitatem, à qua solus Papa dispensare potest ad omnes ordines, & omnia Beneficia: Episcopus verò non nisi ad
Ton-

Tonsuram, Minores Ordines, & Beneficium simplex, cap. 1. *de Filiis Presbit.* in 6.

2. Clericatus seu prima Tonsura, sine qua irrita est, cujusvis Beneficii collatio, ex cap. 6. *de Transact.* & cap. 2. *de Instit.* Si Beneficium ex sua institutione, vel lege, aut consuetudine requirat certum ordinem sacrum, carens illo Ordine est ad istud inhabilis cap. 22. *de Elect.* Ex consuetudine tamen latis est, si intra annum suscipiatur is Ordo; sed non debet ultra differri; *ex Clement. 2. de Aetat.* & *Trid. Sess. 22. cap. 4.*

3. Aetas idonea cap. 7. *de Elect.* alioqui collatio est nulla. Hæc autem varia requiritur pro varietate Beneficiorum. Ad Episcopatum requiruntur triginta anni ex cap. cit. in Gallia sufficit inchoatus annus 27. *ex Concordat.* Ad Abbatias, Dignitates, & Parochialia Beneficia annus 25. inchoatus exigitur, *ibid.* & à *Trid. sess. 24. cap. 12.* Tamen ad dignitates non habentes annexam curam animarum sufficit annus 22. completus *ex Trident. ibid.* ad Beneficia simplicia, ut sunt Capellanix annus 14. inchoatus requiritur à *Trid. sess. 23. cap. 6.* Ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis jure novo requiritur annus 21. quia annexum habet Subdiaconatum. Ex consuetudine tamen datur habenti tantum annos 14.

4. Cælibatus, ita ut si Clericus Minorum

rum

rum Ordinum ineat matrimonium, ipso jure amittat Beneficium, si quod habet. Ita commun. ex cap. 1. 3. 5. & 8. *de Cleric. Conjug.* & conjugatus ad Beneficia admitti non debet, nisi forte castitatem voveret perpetuam, & qui unicam & virginem habuisset uxorem. ut dicitur cap. 2. *de Cleric. conjug.*

5. Immunitas à Censura, & Irregularitate etiam occulta, ita ut nulla sit non solum collatio Beneficii facta excommunicato, suspensò, vel irregulari, sed etiam ejusdem electio, presentatio, & resignatio in ejus favorem, ex cap. 7. *de Cleric. excom.* cap. 8. *de Ætat.* & cap. ult. *de Cler. pugnans.* & cap. 18. *de sent. excom. in 6.*

6. Morum probitas; cap. 7. *de Elect.* ex Conc. Gener. Later. 3. & Trid. sess. 22. cap. 1. Et ratio ipsa dicitur Dei, & Ecclesie Ministros maximè debere esse virtutibus ornatos, cum alios exemplis, monitis, & precibus debeant in pietate promovere: Improbo tamen facta collatio non est ipso jure irrita, sed irritanda, nisi crimen annexam habeat censuram, vel irregularitatem, cap. 11. *de excess. Prælat.*

7. Scientia, ea scilicet, quæ ad omnia munia Beneficio annexa rectè obeunda requiritur, cap. 7. *de Elect.* ex Conc. Gener. Later. 3. & ex Trident. Et per se patet, cum propter illa rectè persolvenda institutum, & datum sit Beneficium.

8. Cor-

8. Corporis aptitudo, ea nempe, quæ ad Officium decenter præstandum necessaria est. Hinc cæcus, mutus sunt incapaces Beneficii, cum Horas recitare nequeant. Cæcitas tamen superveniens non privat Beneficio prius acquisito.

9. Vocatio divina, ex Heb. 5. nam ad Deum pertinet Ministros suos eligere per vocationem; & alias quis se exponit periculo damnationis æternæ.

10. Intentio perseverandi in statu Ecclesiastico, & suscipiendi ordinem muneri suo necessarium, nisi occurrat postea justa causa, quæ alium statum suadeat. Nam Ecclesiastica Beneficia instituta sunt pro iis duntaxat, qui statuerunt se ministerio Ecclesiæ mancipare. Quare qui Beneficium accipit animo ejus fructibus fruendi, donec uxorem convenientem invenerit; vel studia absolverit, vel aliis resignandi, secundum communem sententiam teste Lessio, peccat mortaliter: quia Ecclesiam decipit in re gravi, Beneficia quippe instituta sunt pro iis solis, qui divino servitio se penitus dicarunt. *Nec est absolvendus, donec animum mutet, aut Beneficium dimittat.* ait. Toletus. Multi tamen docent hunc non teneri ad restituendos fructus perceptos, si muneri suo satisfecerit; quia jus id nus-

quam statuit, nisi de Beneficio Parochiali suscepto sine animo recipiendi Sacerdotium intra annum; & aliunde eos percepit cum justo titulo, & persoluto officio, propter quod dantur.

Adeptus autem Beneficium curatum debet intra annum Sacerdotium suscipere: alioqui, nisi iusta causa impeditus fuerit, Beneficio illo privatur ipso facto. cap. 35. *de Elect.* in 6. Qui verò acceptat Parochiam sine animo recipiendi Sacerdotium intra annum peccat mortaliter, & tenetur restituere fructus etiam ante omnem sententiam, nisi mutata voluntate illud recipiat *Ibid.* quia Ecclesia Beneficium curatum confert cum tali onere. Item qui Beneficium simplex requirens ordinem sacrum admittit sine animo certo illum recipiendi peccat mortaliter: quia quisque tenetur de jure naturali velle esse idoneus ad munus quod suscipit, & re ipsa se idoneum ad illud ritè, & cum onere annexo exercendum præbere.

Præterea Dei Gloria, animarum salus, & propria perfectio procuranda debet esse solùm motivum suscipiendi Beneficii ob hunc finem instituti, semota omni cupiditate prava divitiarum, honorum, ac commodorum temporalium.

Q. 5. *An licet habere plura Beneficia?*

Resp. Non licet sub mortali accipere, ac retinere plura Beneficia etiam simplicia, & cum dispensatione Papæ, quando unum sufficit ad honestam sustentationem; nisi aliud postuler Ecclesiæ necessitas, vel utilitas, vel alia justa causa in utilitatem Ecclesiæ redundans. *Ita S. Thom. Quodlib. 9. a. 15. Toletus, Bellarmin. in instruct. ad suum nepot. Azor, Reginal. Layman, Lessius, dicens esse fere communem Theologorum. Imò videtur nunc communis.*

Prob. Quia 1. Papa non est Dominus Beneficiorum, sed solum dispensator, qui non potest valide dispensare bona Ecclesiæ, nisi in utilitatem Ecclesiæ, & ad Dei cultum; cum in hunc solum finem donata sint. Præterea jure communi prohibita est pluralitas Beneficiorum à Conc. Gener. Later 3. & 4. & Nic. 2. & à Trident. Sess. 24. cap. 17. ubi statuit ut *unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, etiam conferri.* At usus dispensationis sine justa causa datæ

Zz. 2 est

est illicitus, ut dixi in Tract. de Legib. 2. Hæc pluralitas, nisi necessitas, vel utilitas Ecclesiæ interveniat, est vetita jure divino naturali, ideòque prorsus indispensabilis. Nam seclusâ tali causâ pluralitas illa est intrinsecè mala, cum contineat multas inordinationes, (ut docet S. Thom. sup.) nimirum 1. Minuitur cultus divinus, Deus enim magis per plures Ministros, quàm per unum colitur. 2. Ecclesia destituitur suis operariis, nam unus nequit in pluribus locis residere, nec plurium ministeria obire. 3. Fundatores frustrantur sua pia intentione; nam Beneficiorum fundatio eò tendit, ut plures Ministri Ecclesiæ constituantur. 4. Nisi Ecclesiæ necessitas, vel utilitas aliud postulet, iniquum est, ut unus stipendia pluribus Ecclesiæ Ministris destinata accipiat. 5. Subsidio privantur alii pauperes Clerici, & forsan magis idonei, & Ecclesiæ utiliores futuri. 6. Inde profluunt scandalorum occasiones, & suppeditatur avaritiæ, luxûs, & ambitionis materia. Quare Conc. Gener. Later. 3. ait cap. 14. pluralitatem Beneficiorum *certum continere periculum animarum.* & Trid. cap. cit. addit pluralitate perverti ordinem Ecclesiasticum.

Dixi, *nisi id postulet, &c.* Nam, ut ait Toletus, *plura Beneficia habere est de eo-*

rum numero, quæ mala sunt, tamen possunt bona fieri, si aliquibus bonis circumstantiis copulentur. addit quòd perinde sit habere unum Beneficium, cùm una Commenda perpetua, seu ad vitam, vel plures Commendas, ac habere plura Beneficia in titulum; nam Commenda perpetua æquiparatur Beneficio in emolumento & onere; & Trident. Sess. 24. cap. 17. expressè declarat non licere plura Beneficia etiam commendata habere.

Q. 6. *An est culpa mortalis Beneficium conferre indigno, vel minus digno?*

Not. Indignus dicitur, qui ad Officium debitè præstandum est ineptus ratione prævæ vitæ, vel ignorantia, vel morbi, aut similis impedimenti; vel putatur non futurus utilis Ecclesiæ, nec satisfactorius officio. Hinc qui versatur in habitu alicujus peccati mortalis, est indignus, *quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum,* ait S. Thom. Quodlib. 8. q. 4. a. 6. Dignior censetur non absolutè, qui doctior est, vel sanctior, sed qui omnibus spectatis putatur meliùs officio satisfactorius, & futurus utilior Ecclesiæ, ac bono

animarum in illo Beneficio. S. Thom. 2.
2. q. 63. a. 2.

Resp. I. Mortale est quodvis Benefici-
um, etiam simplex, conferre indigno, eum-
ve præsentare, eligere, &c. *Ita omnes, dum
haberi potest dignus.* Prob. 1. Ex Conc.
Gener. Later 4. cap. *grave* de Præbend.
*Præcipimus, ut prætermiſſis indignis, ido-
neos assumant, qui Deo & Ecclesiis velint,
& valeant gratum impendere famula-
tum,* qui contra fecerit jubetur suspendi
à conferendis Beneficiis. Et ex Trid Sess.
7. cap. 3. *Inferiora Beneficia Ecclesiasti-
ca, præsertim curam animarum habentia,
personis dignis & habilibus, &c. confe-
rantur. Aliter autem facta collatio, sive
provisio omnino irritetur.* 2. Quia cum
Beneficium sit institutum propter Offici-
um in Dei Gloriam & Ecclesiæ utilitatem
præstandum, recta ratio dicit non posse
conferri ei qui dotibus ad omnes ejus fun-
ctiones dignè obeundas requisitis caret,
vel non putatur prudenter illi officio sa-
tisfacturus. 3. Talis promotio cedit in
grave damnum injustum Ecclesiæ: quod
proinde, secundum omnes, compensari de-
bet ab ipso indigno, qui procuravit sibi, &
accepit Beneficium, & post hunc ab eo, qui
providit, deinde à cooperatoribus; nam
Ec-

Ecclesiæ ex justitia debetur Minister dignus.

Hinc Collator, Elector, vel Patronus debet positivè scire eum, cui Beneficium datur, esse dignum; nec sufficit, si nesciat esse indignum: quia ex officio tenetur eligere vel præsentare dignum, ideoque nōsse eum, quem præsentat, vel eligit, talem esse. Unde tenetur diligenter inquirere, num sit idoneus; alioqui se exponit periculo præsentandi, vel eligendi indignum, & proinde peccandi mortaliter.

Not. Juxta omnes, teste De Lugo. Eligere indignum, seu ineptum ad Officia Sæcularia, est semper mortale, tum contra charitatem, cum ex electione indigni multa mala in Rep. multis oriantur: tum contra justitiam; nam Reip. rector tenetur ex officio Reip. mala præcavere, & avertere, & proinde multo magis non ponere illorum causam, & occasionem; alioqui tenetur ad restitutionem. Quod verum est etiam de aliis, qui potestatem à Principe accipiunt eligendi, vel vendendi illa officia: non enim accipiunt potestatem eligendi, nisi eo modo, quo Princeps eligere debet.

Resp. II. Ad Beneficium annexam habens curam animarum, vel jurisdictionem, vel functionem magni momenti, ut concionandi, docendi, &c. Item ad Superioritatem Religiosorum, eligere, postulare, proponere, aut præsentare dignum omisso digniore, ex communi sententia est mortale. Prob. 1. Ex Conc. Later. 3. cap. 17. ubi præcipit, *ut ille præficiatur Ecclesia, qui majoribus juvatur meritis, & ex Trid. Sess. 24. cap. 1. ubi declarat omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habent, aut alioquin operam suam præstant . . . mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesie magis utiles ipsi judicaverint, eorum exigentibus meritis, præfici & diligenter curaverint.* Et quamvis ibi loquatur de Episcopatibus, tamen item sentire de Parœciis patet ex cap. 18. ubi præcipit, ut Parœciæ dentur dignioribus, & dicit Patronum teneri digniorem ad eas præsentare. Unde S. Pius V. Constit. 33. ait: *Ut non solum dignis, sed etiam magis idoneis repertis juxta Conc. Trid. decretum Parochiales Ecclesia conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus.* Porro Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Cum dixit Conc. Trident. eos alienis peccatis communicantes peccare mortaliter, qui nisi quos digniores, vel Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint, ad Eccle-*

Ecclesias promovent; Concilium vel 1. videtur per hos digniores, non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto comprativo pro positivo; vel 2. locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur. 3. quando fit Concurfus.

2. Ex S. August. Epist. 29. *Nec sanè putandum est leve esse peccatum in personarum acceptione... quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesia, contempto paupere instructiore, atque sanctiore.*

3. Quia Electores, Patroni, Collatores tenentur graviter ex officio, & fide debita Ecclesiae distribuere Officia, & Beneficia, sicut bonum Ecclesiae & animarum, ad quod instituta sunt, exigit; & utilitatem Ecclesiae, ac cultum divinum, quantum possunt, pro munere suo promovere. Quod non praestant eligendo minus dignos; nam notabili fructu per digniores praestando, Ecclesias defraudant, imò causam dant gravi detrimento spirituali, quod semper sequitur ex praelatione minus digni, & quod impediretur à digniore.

4. Quia est peccatum acceptionis personarum in re gravi, de quo Jac. 2. *Si personas accipitis, peccatum operamini.* nam hoc peccatum consistit in eo, quòd in jure dicendo, aut in bonorum communium distributione, id quod debitum est uni propter aliquam causam,

v. g. æquitatem, virtutem, meritum, doctrinam, &c. datur alteri intuitu alicujus causæ, v. g. amicitia, consanguinitatis, munerum, &c. ob quam non debetur. Unde tunc violatur justitia distributiva in re gravi, cum in distributione Beneficiorum non attendatur qualitas spectans ad causam, ob quam dari debent, quæ causa est dare Ecclesiæ optimos Ministros. Hinc Vasquez ait nullum dubitare, esse mortale eligere minus dignum in Beneficio annexam habente curam animarum. Ob easdem rationes, ex communi, Officia Sæcularia magni momenti conferri debent sub mortali magis idoneis: nam id exigit bonum commune; & si omittantur digniores, magnum detrimentum patitur Resp.

Resp. III. Electores, Patroni, Collatores tenentur graviter curare, ut dignioribus Beneficia etiam simplicia conferantur. *Est communis.* Prob. 1. Ex cap. un. *ut Eccles. Benefic.* ubi Innoc. III. de Beneficio non curato loquens ait: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Officium & Beneficium in persona magis idonea dispensare.* 2. Ex SS. Patribus, & ex S. Thom. qui 2. 2. q. 63. a. 2. generaliter & indistinctè docet committi acceptionem personarum in Beneficiis, fi

si non dentur dignioribus. Et ad 3. ait: *ut electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, non oportet eligere meliorem: quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.* 3. Quia Beneficia primariò instituta sunt ad majorem Dei cultum, & Ecclesiæ utilitatem: secundariò autem, ut sint præmia virtutum, quibus digniores in Ecclesia honorentur, & juventur. At uterque finis impeditur, si minùs digni præferantur. 4. Omittens digniorem agit in re gravi contra fidelitatem ex officio debitam Ecclesiæ. Nam Ecclesia talibus commisit facultatem providendi de Beneficio ea lege, ut utantur tanquam fideles dispensatores secundùm fines ab Ecclesia in Beneficiorum institutione intentos: quod est aliquid grave. Et verò ad bonum Ecclesiæ multi interest, ut divina Officia quàm decentissimè, & devotissimè celebrentur. At violare in re gravi fidem ex Officio debitam est mortale. 5. Violatio justitiæ distributiæ per acceptionem personarum mortalis est ex genere suo, adeoque in re gravi, ut in Canonatu, vel quando notabilis & evidens est excessus inter promotum, & eligendum. Ita S. Antonin. Vasquez. Molin. *Rebell.*

Rebell. & alii. contra alios, qui docent esse solum veniale, modo verè digni eligantur. Lessius verò concedit esse mortale, si id passim fiat. Idem docet de Lugo.

Hinc resignans, & permutans tenentur minus digno digniorem, qui est in promptu, præferre, tum ex charitate boni communis, tum ex justitia distributiva: quia Beneficia sunt instituta pro dignioribus, nec ab Ecclesia facultatem resignandi, vel permutandi accipiunt, nisi cum eodem onere, quo obligantur Prælati, & Patroni. Porro si aliquod Beneficium ex dotatione dandum sit alicui ex tali Capitulo, vel familia, dignior est eligendus. Si tamen nullus esset dignus, alius alibi quærendus esset, quia hæc fuit intentio Fundatorum, & Ecclesiæ, nec alia potuit esse.

Not. Nulla esset culpa dare minus digno Beneficium simplex, cum id postulat charitas, vel alia justa causa ad majus bonum Ecclesiæ spectans, aut redundans: ut si Clericus præsertim Sacerdos non possit inopia levare, nisi per Beneficium simplex: vel si digniores reservandi sint pro Beneficiis Curatis: vel ut Pastor minus idoneus à Cura animarum amoveatur.

Q. 7. Quibus modis Beneficia amittuntur?

Resp. Quatuor I. Per mortem Beneficiati.

ciati. 2. Libera resignatione coram Superiore eam acceptante. 3. Per sententiam iudicis, ob crimen juxta Canones hac privatione puniendum, ut homicidium simplex, sacrilegium, adulterium, perjurium, &c. 4. Dispositione juris. idque quadrupliciter. 1. Per alterius Beneficii incompatibilis consecutionem. 2. Per matrimonium. 3. Per Professionem Religiosam. 4. Per aliquod crimen, cui privatio Beneficii ipso jure annexa est: qualia sunt Hæresis, Schisma, Simonia, Falsificatio litterarum Apostolicarum, Sodomia, homicidium per sicarium pretio conductum, &c. Tamen juxta communem reus non tenetur statim ante sententiam declaratoriam criminis Beneficium suum dimittere, nisi hoc expresse habeatur in jure. Sed tunc sententia iudicis declaratoria retrahitur ad diem commissi criminis: ita ut non solum omnes fructus Beneficii ab illo die percepti amittantur, sed etiam resignatio, vel permutatio illius post crimen facta rescindi possit.

Q. 8. Quenam observanda de Pensionibus?

Resp. Sequentia I. Pensio est jus percipiendi fructus ex alterius Beneficio. Alia est Laica, quæ propter temporale aliquod obse,

obsequium datur, nec exigit Clericatum: adeoque Laicis competere potest, ut Procuratori, Advocato, &c. Alia Clericalis, seu Ecclesiastica, quæ solis Clericis conceditur. Et hæc duplex est, scilicet merè spiritualis, quæ datur Clerico ob ministerium spirituale, v. g. Concionatori, Vicario Parochi; & mixta, quæ quidem statum Clericalem requirit, & in eo fundatur, non tamen ob ministerium spirituale, sed ad honestam sustentationem datur.

II. Ut pensio Clericalis validè, & licitè obtineatur, quatuor requiruntur. 1. Ut impetrans sit Clericus, seu habeat primam Tonsuram, non sit conjugatus, nec illegitimus, nec irregularis, nec ulla Censura irretitus. Quòd si pensio sit mixta, requiritur insuper, ut non habeat aliunde necessaria ad honestam sustentationem: si verò sit merè spiritualis, ut ministerium spirituale possit, & velit rectè præstare. 2. Requiritur dispensatio Papæ, nam Lex est generalis, & titulus juris Canonici, *ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.* & constat ex usu Ecclesiæ. Quare Episcopi pensionem constituere nequeunt, nisi in quibusdam casibus, in quibus facultas hæc eis à Trid. sess. 21. cap. 6. & sess. 23. cap. 18. conceditur. 3. Requiritur justa causa, sine qua ex communi, graviter peccarent, & Papa, & impetrans, si-
cut

cut malè res Domini sui dispensans œconomus, & qui recipit pecuniam ab œconomino malè res Domini sui dispensante. Unde non licet eam retinere. *Sine causa enim* (inquit Toletus lib. 5. cap. 83.) *non habet locum in foro interiori, & coram Deo dispensatio, sed tantum in foro exteriori. Unde qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt: nec excusantur, quia Papa dedit, nam Papa non est Dominus bonorum Ecclesia, sed solum universalis dispensator.* 4. Debet esse moderata, ita ut Beneficiario relinquatur, quantum satis est ad honestam sustentationem. Ex consuetudine non debet ex cedere tertia Partem fructuum, quamvis Papa ob justam causam possit majorem constituere.

III. Sicut non licet habere plura Beneficia, ita nec plures pensiones, quando una sufficit: quia cum pensio detur in vitæ subsidium, si una sufficiat ad honestam sustentationem, cessat causa aliam obtinendi. *Azor & alii.*

IV. Pensio extinguitur 1. Morte naturali, vel civili, aut degradatione pensionarii. 2. Per matrimonium, vel professionem religiosam. 3. Per varia delicta quæ sunt Hæresis, Læsæ Majestatis, aut sedis
Apo-

Apostolicæ, item percussione Cardinalis, vel Episcopi in cuius Diœcesi percipitur pensio.

V. Pensionarius Clericus, qui non est aliunde obligatus ad Horas Canonicas, tenetur sub mortali recitare quotidie parvum B. V. Officium; & si omiserit, non facit fructus suos, sed tenetur perceptos restituere fabricæ, vel pauperibus, eo modo, quo Beneficiatus omittens tenetur. Ita statuit Pius V. in Bulla *Ex proximo*, quæ viget etiam in Galliis. Nec jam conceditur Pensio nisi sub hoc onere. Tenetur etiam Tonsuram & habitum Clericalem gerere, ut statuit Sixtus V. Constit. 92.



IN-